

uero ante se projecto nitore, adiacentia illu-
strare. Colores uero non nisi ex opaco red-
dunt, nec ut ipsæ habeant, sed ut repercussu
parietem illidant, optimaque que maximos
arquus facit, simillimosque cælestibus. Est &
alia iris cætera similis, & prædura. Quam
Horus cremata in tuſamque ad ichneumon-
num morsus remedio esse. Nasci autem in
Perside tradit. Similis est aspectu, sed non
eiusdem effectus que uocatur Zeros alba
nigraque macula in transuersum distinguente
crystalium. Expositis per genera colorum
principalium gemmis, reliquas litterarum
ordinem explicabimus.

De quibusdam gemmis
per alphabeti
ordinem.

Achates in magna fuit auctoris-
tate, nunc in nulla. Reperta primum in
Sicilia iuxta flumen eiusdem nominis, po-
stea plurimis locis, excedens amplitudis-
ne numerosa, uarietatibus diuersis mu-
tantibus cognomina eius. Vocatur e-
nim Phaspachates. Cerachates, Sardas-
chates, Hæmachates, Leucachates, Dens-
drachates, uelut arbuscula insignis. An-
G s tachates